

7

tum exhibetur in Gemmis 1. & 2. Tab. LXXXVIII. Tom.
I. Musæi Florent.

In Mus. Florent. Tom. III. nuper edito duplici prospectu tab. XLV. XLVI. perinsignis hæc Statua exhibetur. Eiusdem Musæi Illustrator eximius Antonius Franciscus Gorius erudita, doctissimaque commentatione illam exornavit, quam ne quis Clarissimi Viri labore fraudetur, integram hic damus.

E Deorum numero quem referat hoc Signum abeneum, altitudine ad justam Juvenis ætatem expressum, meo quidem judicio baud facile dictu est. Toto corpore hic Deus ἀγροτος nudus est, nullumque præfert insigne seu symbolum, quod declaret an inter Deos majorum, vel minorum gentium vel εὐροτα recensendus sit. Dextro brachio, manuque extensâ pateram gestasse antiquitus arbitror; quo gestu præsentia numina, ut in epiphaniis apparere solebant; expressit antiquitas, quo clarius Cultores intelligerent propitium esse Numen, & votis obsequens; paratumque ad libationes, quæ offerrebantur, suscipiendas. Sinistrum brachium, & manum femori ad-movet. Oculi ejus inanes sunt, in quibus gemmas insertas fuisse verosimile est, quæ postea vel furto una cum paterâ fortassis aureâ sublatae fuere Dionysii Tyranni exemplo, vel temporum injuria periere. Basis abenea ovalis figuræ insitit, cui altera basis, seu hypobasis ex ære non rotunda, sed quadrata subjuncta est: hæc in his tabulis, quæ duplicem ejusdem Signi prospectum exhibent, utpote recentis operis prætermissa est; digna tamen, quæ in lucem prodiret propter officii dignitatem, atque elegantiam, clarissimumque artificis nomen: Nam fama est a præstantissimo Laurentio Ghibertio Piçtore, ac Sculptore Florentino adhuc juvene confectam fuisse. Solium eidem hypobasi impostum in angulis ornatur capitibus arietinis; circa vero inferiorem coronidem, & anaglypha in utroque basis latere expressa (quorum in dextro Cybeles Dea curru vecta circumludentibus Satyris, qui uvarum racemos gerunt; in levo vero, Vir ducens bircum ad immolandum arreptis ejus cornibus, & Puella super ardentem tripodem vinum e vasculo effundens sculpta est) circa tabulas in anticâ, & posticâ ejusdem hypobasis constructas ad epigraphen exhibendam, serpit pampineus encarpus egregiâ arte elaboratus ad similitudinem foliacei ferti, seu corollæ, qua circumquaque exornantur abeneæ Valvæ posticæ in majori, ac minoribus ostiis Insignis Basilicæ Florentinæ S. Joannis, quas nunquam satis laudare se posse ajebat Florentinus Praxiteles Michael Angelus Bonarrotius; quod opus ad æternitatem naminis sui, ac Patriæ decus, idem Laurentius Ghibertius absolvit. Hæc

Basis